

1553. Septimum, rursus Parisijs anno 1574. Octavus, Colonix apud Viduam Joannis Birckmanni anno 1576. Nonus, Lovanij anno 1546. Ita etiam apud Bonaventuram in primo sententiarum excusio an. 1491. Itemque in alio impressio anno 1510. Ita et in tomo 4. Bibliothecæ patrum secundæ editionis, excepto quod pro anno 1226. invenitur illic annus 1277. Atqui circa annum sive 1226. sive 1227. B. Thomas nihil vel docuerat vel scripserat, neque adhuc erat religiosus, cum tunc non potuerit esse plus quam trium aut quatuor annorum (ex omnium enim constanti asseratione ad Dominum transijt anno 1274. non excedens annū ætatis quinquagesimū) quomodo igitur an. 1226. vel 1227. potuit condemnari conclusio contra fratrem Thomam, si is intelligatur Thomas Aquinas? Adde, quod annis illis nullus fuerit Episcopus Parisiensis, vocatus Stephanus: nam ex Demochare lib. de divito missæ sacrificio c. 18. liquidum est Stephanum istius nominis primum, Parisiensem Episcopatum tenuisse ante Petrum Lombardum, anno 1164. defunctum; Stephanum autem secundum cathedram Pontificalem Parisiensem ascendisse anno 1258. nullumque inter eos Episcopum interfecisse qui Stephanus diceretur, Huic confiteri Joannes Chenu qui anno 1621. exactam Episcoporum Gallix chronologicam historiam emisit; in Catalogo Parisiensium Episcoporum de Stephano primo scribit quod obiit anno 1140. 4. calend. Augusti; de Stephano autē secundo quod præcessit cepit an. domini 1258. & obiit an. 1279. quæ igitur ratione verum esse potest articulos aut conclusiones contra B. Thomam superius allatas, fuisse à Stephano Parisiensi Episcopo condemnatas an. domini 1226. aut 1227. Atque ex his perfpici potest prudentius egisse postea Lovanienfes, qui textum Magistri sententiarum ex iudicio doctissimorum S. Theologiæ professorum, rursum evulgatas an. 1557. item an. 1566. & 1568. similibus articuloꝝ condemnationes suppresserunt seu omiserunt.

Si forte quis respondeat, ex erroribus immediatè in libris ante citatis præcedentibus, qui referuntur anno 1270. condemnati; obvium esse intelligere quod pro anno 1226. legendum sit an. 1276. Respondetur id non esse tam obvium; quandoquidem non unus vel duo, sed omnes omnino quos videre potuimus, codices complures exhibeant annum 1226. aut 1227. ne unus autem annum 1276. deinde ex ijs quæ in iisdem libris sequuntur luce meridiani clarius est, nullum temporis ordinem esse servatum in articuloꝝ qui feruntur Parisijs revocati vel condemnati, relatione: nam post recentiores articulos condemnatos anno 1347. & 1348. referuntur alij condemnati anno 1340. & post revocationis quorundam, factas an. 1365. & 1369. recentiorum alia factæ an. 1363. 1362. 1354. 1352. Accedit quod statim ut de Eximij Doctoris Thomæ Aquinatis obitu fama percrebuit; Universitas Parisiensis ad Magistros & Provinciales ordinis fratrum Prædicatorum in generali Capitulo Lugduni congregatos anno 1274. literas dedit, quas verbatim refert P. Stephanus de Sompayo S. Theologiæ professor, in libro curtitulus, Stemma ordinis Prædicatorum in quibus ita loquitur, *Singultuoso clamore, totius Ecclesie universale dispendium, necnon & Parisiensis studij manifestam desolationem lachrymabiliter deploramus, & his diebus prælegimus in communi non immerito deplorare.*

*Hec, heu, heu, quis det nobis ut repræsentare possimus ferocem lacrumam! &c. fletum, vix valemus exprimere (amor enim retrahit, sed dolor & vehemens angustia dicere nos compellit) ex communi relictu & certo rumore multorum nos scire Doctorem venerabilem fratrem Thomam de Aquino ab hoc sæculo fuisse vocatum. Quis potest asserere divinam providentiam permisisse stellam matutinam præminentem in mundo, jubar in lucem sæculi, imo (ut verius dicamus) luminare majus quod præerat diei suos radios retraxisse? & poli pauca; Quem videri non posuimus, re habere, ipsius jura defuncti ossa nobis pro maximo munere postulamus: quoniam omnino est indecens & indignum ut altera natio aut locus, quæ omnium studiorum nobilissima Parisiensis civitas, quæ ipsum prius educauit, nutrivit, & fovit, & postmodum ab eodem doctrina documenta & ineffabilia fomenta suscepit, ossa inhumata habeat & sepulta. Si enim merito Ecclesie ossa & reliquias sancti vni honorat, nobis non sine causa videtur honestè & sanctum, tanti Doctoris corpus in perpetuum penes nos haberi in honore, ut cuius samâ apud nos scripta perpetuè, ejusdem perseverans memoria sepultura ipsorum in cordibus successorum nostrorum stabilit sine fine. Forte, Ceterum sperantes quod obtemperetis nobis cum esset ipsam. sectu in hac petitione devota, humiliter supplicamus ut cum quedam scripta ad philosophiam spectantia Parisijs inchoata, ab eo relicta sint imperfecta; & ipsa credamus ubi in astatu fuerat completisse, nobis benevolentia vestra cito communicari procretis, & specialiter super libros de celo & mundo &c. Ita Parisiensis Universitas. Quorum consideratione, haud facile in eam inducimur sententiam ut credamus eandem Universitatē mente silioque statim in contraria mutatis, pauculo temporis interjecti spatio processisse ad condemnandas & anathematizandas illius Venerabilis Doctoris conclusiones, quam ita Venerabundi celebrabant. Multo autem minus existimari potest quod ipso adhuc in vivis agente simile quidpiam attentarint, nisi fortè quis id opinetur de illis, qui mendicantium religiosorum hostes & impugnatores, fuere postea ab ipso Doctore nostro expugnati, & à Romano Pontifice exautorati, quemadmodum liquere potest legenti argumentum opusculi quod contra impugnantes religionem inscripsit. Sed hujus opinationis neque fundamentum aliquod producit, neque si produceretur, plus autoritatis habere posset condemnatio, quam authores ipsi, de Universitate expulsi, omnique dignitate privati. Ceterum, quin aliquot à B. Thomæ obitu tandem labentibus annis, condemnati fuerint articuli, quales recentet apologistæ, non omnino inus inficias. Nam Richardus in 1. dist. 37. & in 2. dist. 3. meminit aliquorū à Stephano Parisiensi Episcopo (verisimiliter secundo, qui præfuit ab anno 1258. usque ad annum 1279.) condemnatoꝝ; similiterque Henricus à Gandavo, quodlibeto 2. q. 9. & quodlibeto 11. q. 1. ac etiam Durandus in 1. dist. 37. q. 1. & in 2. dist. 3. q. 3. At eorum nullus dicit, quod contra fratrem Thomam, quemadmodum tum apologistæ, quam textus à nobis antea citati loquuntur, sed neque in cæteris per omnia conveniunt cum tenore articuloꝝ qui vel textui Magistri, vel operibus Bonaventuræ annectuntur, ut patet ex sequentibus.*

Videamus nunc quid secundo loco dicendum sit ad articulos Ab Apologista productos. Respondet eos vel nunquam fuisse à S. Thoma traditos; vel habere sensum verum; aut certè in utramque